


# LETRAS EXECVTORIALES POR CHANCILLERIA, EN QVE LAS TRES SALAS dela Real Audiencia de Cataluña por Chancilleria dieron titulo, y tratamiento de *MAGNIFICOS* à los Assessores de la Capitania General del Principado de Cathaluña.

*PHILIPPVS Dei Gratia Rex Castellæ, Aragonum, &c. Comes Barcinonæ, &c.*



DALMATIVS de Queralt Comes sanctæ Columbæ, ac Baro de Queralt S. C. & R. Maiestatis Consiliarius, Locumtenens, & Capitaneus Generalis in Principatu Cathaloniæ, & Comitatibus Rosilionis, & Ceritaniæ, dilectis, & fidelibus Regijs vniversis, & singulis officialibus, tam Regijs, quam alijs ad quos spectet, præsenteſque per venerint, seu quomodolibet præsentatæ, aut de subscriptis extiterint requisiti, ipsorumque officialium Locatenentibus præsentibus, & futuris, salutem, & dilectionem. In causa dubij, quæ in Regia ducta extitit Audientia inter Michaelem Ioannem de Monrodon Regium Alguatzirium, & alios in dicta causa, atque adhærentes contra Deputatos, & Auditores computorum, Syndicum, Procuratorem Fiscalem Generalis Cathaloniæ, & arrendatores iurium dicti Generalis ad relationem Magnifici, & dilecti Consiliarij Regij Michaelis Ioannis Magarola V. I. D. & Regiam Cancellariam Regentis causis, & rationibus in processu dictæ causæ dubij contentis *die tertia* currentis mensis Augusti dicto Magnifico Relatore referente, legitimoque præeunte processu, & eo viso, attento constat Michaelem Ioannem de Monrodon Regium Alguazirium ordinarium, & alios Regios officiales, & ministros, cum illi vigore, & in executionem Regiorum præconiorum de mandato suæ Excellentiæ publicatorum in Principatu Cathaloniæ, & Comitatibus Rossilionis, & Ceritaniæ contra personas ad dictum Principatum merces, raupas, & alias res fabricatas in Regno Fràciæ, & quæ per dictũ Regnum transierunt vigore instructionum sibi per suam Excellentiam commissarum procederent ad apprehensionem plurimum mercium, quæ in officinis, botigijs, sive magatsems, & domibus tabulariorum Generalis

Ca-

Cathaloniæ villæ Mataronis fraudulenter erant receptæ, & occultatæ, & iuxta tenorem dictorum regiorum præconiorum erant confiscandæ Regio æratio fuisse diebus vigesima, & alijs mensis Iulij proximè dimissi requisititos instante Syndico Generalis Cathaloniæ quatenus à dictis botigijs, sive magatsems merces prædictas non extraherent, neque ianuas illarum aperirent, ex quo prætendebat dictus Syndicus generalis dicta procedimenta esse contra liberam exactionem iurium Generalis prædicti, pro quorum iurium solutione ibi erant reconditæ, & contra iurisdictionem Deputatorum Cathaloniæ super rebus, & negotijs Generalis exactione suorum iurium illis competente, & protestando alias de violatione constitutionum Cathaloniæ, capitulorum, & actuum curiarum, privilegiorum, vsuum, & observantiarum dicti Generalis, & occasione dictarum requisitionum. Constat supplicatione oblata per dictum de Monrodon die vigesima octava dicti mensis fuisse deductum, ipsum, & alios Regios ministros in executione præconiorum prædictorum ritè, & legitimè processisse, & in nihilo constitutionibus Cathaloniæ, capitulis, & actis Curiæ, vsibus, practicis, aut stylis dicti Generalis contra fecisse, nec iuribus Generalis, quorum solutionem realiter obtulerat præiudicium intulisse, & in omni casu firmasse dubium in Regia Audientia iuxta formam constitutionum Cathaloniæ, & illarum observantiam, supplicando declarari non fuisse per eum dictis constitutionibus contra factum, & offerendo omnia per eum facta, casu quo declararetur fuisse contra factum, revocare, cuius dubij causa fuit comissa in debita, & solita forma. Et posteà dictæ dubij firmæ adhæserunt Magnifici Iosephus Massò, & Raphael Puig Regij Consilij Doctores, nobilis Geraraus de Guardiola Locumtenens Magistri Rationalis Cathaloniæ, Receptor bonorum Francigenarum, *MAGNIFICI Petrus Ferrer Fisci Advocatus, Iosephus Queralt, & Gaspar Riera Assessores Capitaniæ Generalis Cathaloniæ*, Ioannes Montalt Regius Alguazirius extraordinarius, Gaspar Xarles Notarius, & Maginus Traver Procurator Fiscalis dictæ Capitaniæ Generalis, Iacobus Castellar Baiulus villæ Motaronis, & Iulianus Iordi Locumtenens societatis militum custodiæ Perpiniani, idem supplicantes, & postulantes quod dictus de Monrodon, & licèt iuxta constitutiones Cathaloniæ, capitula, & acta curiarum Deputatis Generalis Cathaloniæ competat iurisdictio privativè ad Regios officiales super exactione iurium dicti Generalis, & contra ea fraudantes, sic quod nullus Regius officialis possit de prædictis cognoscere. Quià tamen procedimenta per dictos Regios ministros facta in villa Mataronis facta fuerunt pro necessaria executione dictorum regiorum præconiorum, & præparatione ad declarationem pœna confiscationis, in quã iuxta eadem præconia merces prædictæ fabricatæ in Regno Franciæ, vel ab illo asportatæ incidisse prætenditur, vltra alias pœnas in dictis præconij expressas. Attento etiam quia executio dictorum præconiorum cum dictis procedimentis facta spectat ad dominum Regem, & illius Regium Consilium tantum, & per eam in nihilo præiudicatum fuit iuribus Generalis, cum pro parte Don Gerardi de Guardiola receptoris bonorum Francigenarum, & instante Fisci procuratore Capitaniæ Generalis pluries in actum extractionis dictarum mercium anteà, &

po-

postea fuerit facta realis oblatio pecuniarum necessariarum ad dictorũ iurium solutionem, quam tabularij Generalis se occultando, & alij ministri Generalis acceptare recusarunt, nec fuit factum præiudicium iurisdictioni dictorum Deputatorum, cum cessante interesse Generalis per solutionem iurium illius pro quorum exactione solum illis competere potest iurisdictio, pariter, & iurisdictio cessaverit, ex quibus, & alijs legitimè constat de intentione dicti Michaelis Ioannis de Montodon, & illi adhærentium His, & alijs meritis attentis, & aliàs, dictoque Magnifico Regente Regiam Cancellariam referente *insequendo conclusionem in Regia Audientia iunctis tribus Aulis factam*, præstitoque prius iuramẽto per omnes dictæ Regiæ Audientiæ Doctores, qui in præsentis dubij declaratione interfuerunt iuxta formam constitutionis, provisum, & declaratum fuit per dictos Iosephum Malsò, Raphaelem Puig, Don Gerardum de Guardiola, Petrum Ferrer, Iosephum Queralt, Gasparem Riera, Michaelem Ioannem de Monrodon, Ioannem Montalt, Gasparem Xarles, Maginum Traver, Iacobum Castellar, & Iulianum Iordi non fuisse, nec esse contrafactum constitutionibus Cathaloniæ, capitulis, nec actis curiarum, privilegijs, vsibus, nec stylis Generalis Cathaloniæ, & consequenter procedimenta facta per dictos Deputatos intimata die secunda currentis, quibus declararunt, quod erant Iudices competentes præsentis causæ, & negocij cum alijs inde sequutis tanquam nulla, & nulliter facta revocanda, cassanda, & annullanda fore, & esse, à regestris domus Deputationis delenda, & pro nullis, cassis, & irritis habenda, provt, cum præsenti cessari, revocari, & annullari, & à regestris domus Deputationis deleri mandatum extitit, provt hæc, & alia in dicta provisione, ad quam nos referimus, latius sunt contẽta, quæ quidem provisio fuit dictis Deputatis, & Auditoribus Generalis Cathaloniæ intimata, & dictis arrendatoribus iurium dicti Generalis, *& cum pro parte dicti MAGNIFICI Petri Ferrer Fisci Advocati Capitaniæ Generalis*, & aliorum litis consortium supplicatione per eos oblata quarta currentis instaretur executio dictæ provisionis, tamquam die, & anno infrascriptis dicto Magnifico Regente Cancellariam referente, viso processu, & declaratione in eo facta tertia currentis, & visa commissione alteri ex Virgarijs Regiæ Audientiæ ad dictam exequendam provisionem, seu declarationem, visisque videndis facto verbo in Regia Audientia iunctis tribus Aulis provisum fuit, quod fieret exequutio dictæ Regiæ declarationis iuxta illius seriem, & tenorem, soluto prius iure sigilli, & iuris ordine in exequendo servato, & pro eis expedirentur litteræ executoriales, & aliæ provisiones opportunæ iuxta stylum. Et quia parum prodesset sententias ferre, & provisiones facere, nisi illarum debita sequeretur exequutio, ea propter prædicta omnia, & singula vobis intimantes, & notificantes tenore præsentium ad pœnam florennorum auri Aragonum quingentorum Regijs inferendorum ærarijs vobis, & cuilibet vestrum dicimus, & mandamus, quatenus prædictam Regiam declarationem, seu provisionem, & omnia, & singula in ea contenta exequatis, & campleatis, seu exequi, & compleri faciatis iuxta illius seriem, & tenorem, & à contrario diligenter cavete, fierivè permittere quavis

cau-

ceusa, seu ratione, si grat iam Regiam charam haberitis, & pœnam præappositam cupitis evitare. Dat. Barcinone *die quinta mensis Augusti anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo trigesimo octavo.*

*Magarola Regens.*

*In com. lo. xiii. fol. xvii.*

Monserratus Puigvert ex provisione facta per Magnificum Regentem Cancellariam, Visa per eundem Relatorem.

Signum † mei Don Antoninij de Reart S.C.& R.M. mandati Scribæ in Rgnis Coronæ Aragonum cum exercitio in præsenti Generali Cathaloniæ locumtenentia in eademque locumtenentis Protonot. ac Regij Archivarij, qui copiam huiusmodi propria manu in præcedentibus quatuor papyri folijs scripta extraxi à regestro quo iam recondito in Regio Archivo Barcinonæ signato de littera B. intitulatoque sententiarum xiij. annorum M. D. C.xxv. vsque xxxix. à fol. eiusdem xvij. Quam cum suo originali comprobavi, constat autem de quadam dictione punctis circuita in pagina prima, quæ est superfla, & nihil denotat, & clausi solito meo quo vtor supra apposito signo. In quorum prædictorum fidem pleniorem, vt vbique pateat me esse verum fidelem, & legalem Regium suprà memoratum Archivarium, & quod instrumentis omnibus, ita per me à dicto Regio Archivo extractis, clausis, & subsignatis fides in dubia fuit semper tradita in iudicio, & extra : Prætentem ideò, sigillo Regio paruo apponi solito in legalizationibus instrumentorum quorumcumque sigillorum Regio parvo in posse meo existenti, inferius me subscribens munivi. Barcinonæ *die octavo mensis Iulij anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio.*

*Don Antonius de Reart.*

Locus † Sigilli.